

βιβλιακοὶ χαρακῆται ἀπείριτα δ' ἰδόντες  
μισέων ἐν ταλάρῳ ---

Nobis sufficit DEO gratias agere pro Angelorum custo-  
diâ, quos nobis & in Ecclesiastico & Politico & Oeco-  
nomico statu versantibus gratiosè adjungit, Eumq̃  
precari, ut & in posterum ministratori illi Spiritus, τ  
exercitus illi cœlestes υ, castra metentur in circuitu  
nostri, & nos eripiant, φ conservent nos in omnibus vi-  
js nostris, manibusq̃ sustineant, ne offendamus ad la-  
pidem pedes nostros χ &, ut tandem cum animam ef-  
flaverimus, suscipiant eam & porrent in sinum Abra-  
hæ †, nempe in vitam æternam.

Et in hunc finem, quod & ante biennium, fecimus Ἀγγελολογίαν  
Scholasticam iterum in theatrum Gymnasij nostri Evangelici introdu-  
cemus. Ne autem ex quadam ignaviâ eandem ex amben adposuisse vide-  
amur, lubuit vestigia Excellentissimi nostri in Academiâ Salanâ Præ-  
ceptoris Philippi Horstij Pœetæ, Oratoris & Philologi accuratissimi,  
Amplissimæ Facultatis philosophicæ Senioris, calcare, atq; Methodum  
Ἀνατομικῆν sive Prædicamentalem, quam Ipso præeunte unâ cum ali-  
js ante hos XIV, annos elaboratam in publicâ Procerum Academicorum  
panegyri exhibuimus, assumere, juxta illud.

Ædificant nobis alij, nos posteritati,  
sic prius acceptum reddimus officium,

Sevit ille arbores, quæ mihi prodesse, ego, quæ alijs, Thaletem non  
celans auctorem. Itaq; FRIDERICUS Bürger Sprembergâ Lusatus  
in oratione præliminari exponet causas thematis sus-  
cepti. Juxta filum Prædicamenti substantiæ de Angelis differet  
CASPAR Birsing & CHRISTIANUS Hüttel Budisfini, quorum prior  
Quòd sint Angeli, posterior Quòd sint Spiritus; præcipuè  
demonstrabit. Juxta Prædicamentum Quantitatis & Relationis de  
Angelorum Multitudine & Ordine breviter loquetur  
PAULLUS Liebe Budisfinus. Juxta Prædicamentum Qualitatis eodem  
Spiritus describet CHRISTOPHORUS Peverlein ex Bernstadiensibus  
Lusatus.

Prædicamen-

τ Ebr. 1, 14:

υ Gen. 2. 1. c. 32.

2: Luc. 2. 13:

φ Psal. 34, 8:

χ Ps. 91. 11. 12:

† Luc. 16, 23: